

sola puellarum digna est, cui mollia caris
vellera det sucis bis madefacta Tyros,
possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
cultor odoratae dives Arabs segetis,
et quascumque niger Rubro de litore gemmas
proximus Eois colligit Indus aquis.
hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,
et testudinea Phoebe superbe lyra.
hoc sollemne sacrum multos haec sumet in annos:
dignior est vestro nulla puella choro.

*

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi
seu colis umbrosi devia montis aper,
nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes,
incolumem custos hunc mihi servet Amor.
sed procul abducit venandi Delia cura:
o pereant silvae, deficientque canes!
quis furor est, quae mens, densos indagine colles
claudentem teneras laedere velle manus?
quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum,
candidaque hamatis crura notare rubis?
sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
ipsa ego per montes retia torta feram,
ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi
et demam celeri ferrea vincla cani.
tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum
arguar ante ipsas concubuisse plagas:
tunc veniat licet ad casses, inlaesus abibit,
ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
nunc sine me sit nulla venus, sed lege Dianae,
caste puer, casta retia tange manu,
et quaecumque meo furtim subrepat amori,
incidat in saevas diripienda feras.

* 116 *